

quod nunquam de ipso aliquid uisum fuit. per hunc autem modum se habuit negotium inter argonem & Acmat patruum suum. / qualiter barones faciunt homagium argoni/

Et cum Argon totum istud egisset quod superius audiuistis. & fuisset in magno palatio. & totum dominium habuisse omnes barones de omnibus partibus qui sub dominio patris sui fuerant ei fecerunt omagium/ sicut domino suo facere tenebantur: & obedierunt sicut facere debebant & cum Argon bene totum dominium h[ab]uisset misit casan filium suum bene cum sexaginta milibus militum ad arborem sicam causa custodiendi & saluandi suam gentem. In hunc autem modum Argon suum recuperauit dominium Acmat quidem retinuit dominium per duos annos & argon regnauit sex anis. In capite uero sex anorum Argon propter infirmitatem mortuus est & aliqui dicunt quod propter potationem mortuus sit :/—

/Qualiter chyacato cepit dominium post mortem argonis

Et cum argon decessisset quidam suum patruus nomine chyacato cepit dominium & hoc potuit leuiter facere. quia casan multum^{121r°} erat longe. verumtamen casan sciuit qualiter pater suus decesserat. & qualiter chyacato dominium ceperat. Multum quidem doluit de morte patris set magis adhuc doluit quia patruus patris dominium ceperat. Illinc quidem discedere non ualebat propter timorem inimicorum suorum. set tamen dixit se iturum cum erit locus & tempus taliter quod de ipso talem ultionem asumet qualem pater sumpserat de acmat. chyacato retinuit dominium & omnes obedieba[n]t ei exceptis illis qui erant cum casan. Iste enim accepit uxorem argonis & pro se retinuit & sumebat cum dominabus libenter solatum. chyacato quidem dominium retinuit bene per duos annos. & in capite duorum annorum mortuus est & fuit uenenatus cum potu :/—

Qualiter Baydu cepit dominium post mortem chyacatto :—

Cum chyacato decessisset. baydu qui patruus suus erat & xpistianus accepit dominium. & omnes ei obediebant excepto casan cum suo exercitu & quando casan sciuit quod chyacato dicesserat & baydu dominium ceperat doluit multum de morte chyacato. quia de ipso non poterat sumere ultionem. set tamen dixit quod de baydu talem sumet uindictam quod de ea mundus totus loquetur & dixit quod amplius differe nolebat. set ibit supra baydu causa tradendi ipsum^{121v°} ipsum morti. Ergo se cum omnibus suis gentibus preparauit. & iter arripuit causa capiendi dominium. cum uero baydu sciuit quod casan supra ipsum ueniebat magnam gentis multitudinem aggregauit. & iuit ei obuiam bene per decem dietas. & ibi statuit suum campum. & prestolabatur casan cum gentibus suis causa preliandi cum ipso. & multum suas gentes in bene faciendo admonuit. & rogauit.